

*MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80480-6*

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

STAHL, JOHANN
MATTHIAS

TITLE:

EMENDATIONES
SOPHOCLEAE...

PLACE:

MONASTERII ...

DATE:

[1900]

Master Negative #

92-80480-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88SE
Z8 Stahl, Johann Matthias, 1833-
v.4 ...Emendationes Sophocleae... Monasterii Guesf-
lorum, ex typographia Ioannis Bredt, [1900]
22 p. 25 cm.

At head of title: Index lectionum quae auspiciis
Augustissimi ac Potentissimi Imperatoris Regis Gui-
lelmi II in Academia theologica et philosophica Mona-
storicensi...1899-1900...publice privatimque habebun-
tur...

391630

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA



FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 118
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 03 11 1992 INITIALS T. McGee
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIMM

Association for Information and Image Management



1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIMM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

№ 1137

INDEX LECTIONUM

QUAE AUSPICIS

AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI

IMPERATORIS REGIS

GUILELMI II

IN

ACADEMIA

THEOLOGICA ET PHILOSOPHICA MONASTERIENSI

PER MENSES HIBERNOS A. MDCCCXCIX/MDCCC

INDE A DIE XVI MENSIS OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABEBUNTUR.

PRAECEDUNT I. M. STAHLII EMENDATIONES SOPHOCLEAE.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA IOANNIS BREDT.

AUCTORITATE
RECTORIS ET SENATUS
CIVIBUS S. D.

IOANNES MATTHIAS STAHL,
LITTERARUM GRAECARUM PROF. P. O.

In mare fundis aquas' haud scio an mihi Sophoclis fabulas emendare conanti acclamaturi sint quibus importuna videtur omnis opera in iis emendandis collocata, aegre ferentibus eius verba multis locis variarum coniecturarum multitudine tanquam obruta esse. Sane quidem fatendum est tot inutiles, falsas, improbables prolatas esse ab iis qui poëtae sententias non satis intellegerent vel sermonis habitum et quasi colorem parum attenderent ut paene excusandum sit quod nonnullis qui Sophoclis arte et ingenio delectantur haec studia in contemptum venerunt. Attamen qui sobrio iudicio utuntur a praeiudicata opinione libero infitari non solent restare haud pauca vitia eaque aperta quorum neque probabilis neque idonea proposita sit emendatio, inveniri etiam quae sententiae aut sermonis usui repugnantia, quanquam a credulis interpretibus defendantur, a poëta scribi non potuerint. Ab his igitur veniam operae meae peto. In qua sedulo quidem, quantum per temporis angustias licebat, exquirere studui num quis ante me quae ipse excogitaveram invenisset, sed spondere non ausim me tale nihil omnino prolaturum esse. Hoc igitur si evenerit, laudem prioris inventi cuius libenter concedam. Neque enim hoc studiorum genere mihi gloriolam, sed poëtae salutem quaero. Sed iam ad rem ipsam accedamus.

Ai. 189 sq.: *ζέλιουσα μύθους οἱ μεγάλοι βασιλῆς*
ἢ τῆς ἀσώτου Σισυφίδαν γενεῆς.

Ad explicandum genitivum *τῶς γενεῶς* ex verbis *οἱ μεγάλοι βασιλεῖς* articulum ὁ cogitatione supplere volunt, quae ratio exemplis similibus plane destituta est. Facillima mutatione rescribitur ἢ παῖς ἀσπίτου Σίουφωδῶν γενεῶς, ubi ne articulum desideres, cf. Phil. 1298 *ἔάν κ' Ἀχιλλέως παῖς ἔάν τε μὴ θείῃ*.

Ai. 781 sqq. nuntius haec dicit:

πέμπει με σοὶ φέροντα τάσδ' ἐπιστολάς
 Τεύχρος φιλιάσσειν. εἰ δ' ἀπεστερήμεθα,
 οὐκ ἔστιν ἀνὴρ κείνος, εἰ Κάλχως σοφός.

Interpretantur *εἰ δ' ἀπεστερήμεθα* si non consecuti sumus quod consequi volumus. Sed *ἀποστερεῖν* praeter ea quae debita nobis non praestantur in iis valet quae consecuti iam sumus, non in iis quae consequi volumus. Itaque coniecerunt *εἰ δ' ἀφ' ἐστερήμεθα*, *εἰ δ' ἄφ' ἐστερήμεθα*, *εἰ δ' ἄφ' ἐστερήσασιν*, *εἰ δ' ἄφ' ἐστερήσασιν*. Sed *ἀφ' ἐστερεῖν* apud posteriores demum prosae orationis scriptores invenitur et medii *ἐστερεῖσθαι* exempla non exstant; quae reliqua sunt *ἐστερήσασιν* et *ἐστερήσασιν* ipsa quidem a sententia et sermonis usu non aliena sunt, sed propter *εἰ ἄρα*, si forte, displicent, quod tragicis in usu non fuit et dubitantis potius est de re minus verisimili quam timentis. Cum autem eandem vim quam falso hic verbo *ἀποστερεῖσθαι* tribuerunt apud Sophoclem revera *ἀμαρτάνειν* (cf. El. 1320. OR. 621) et *ἐξαμαρτάνειν* (cf. Ant. 1024. Phil. 95) habeant, ab omni parte satisfacere videtur *εἰ δ' ἀφ' ἐμαρτάνεμεν*, quo verbo composito cum eadem sententia usi sunt Xen. Hist. Gr. VI 1, 15. Demosth. XIV 13. Codicum scriptura nisi depravatione ex ipso *ἀφ' ἐμαρτάνεμεν* facta est, prava eius interpretatio esse potest. Cf. Hesych. *ἀμαρτάνεσθαι* δι' ἀμαρτάν στερηθῆναι.

El. 113 sq. Furias auxilio vocat Electra munus earum sic denotans:

αἶ τοὺς ἀδίκως θνήσκοντις ὄρατε,
 τοὺς εὐνὰς ἐπολιεπιμένους,

ubi *ὄρατε τοὺς* anapaestorum mensuram non aequat. Ad eam igitur complendam, ut *ὄρατε* elisionem pateretur, Porsonus olim alterum versum delevit, eam praeterea afferens causam quod Furiarum non esset adulterium punire, quo non contentus G. Dindorfius etiam priorem versum abiiciendum esse censuit. Sed Furiarum munus ad omnem fere pietatis violationem pertinebat (cf. Preller Gr. Mythol. I⁴ p. 835), et quidquam hoc loco delere eo prohibemur quod Electrae

questus ex duobus systematis inter se respondentibus (86—102 = 103—120) constat. E reliqua coniecturarum multitudine plerisque Dobraci scriptura *ὄρατ'* — *αἶ τοὺς* placuit. Sed cum pro coniunctis quae respiciuntur flagitiis coniunctim hic cogitandum sit necis et adulterii crimen, relativi repetitio vix locum habet. Quoniam igitur ipsum metrum flagitat ut cum elisione *ὄρατ'* legatur, necesse est quod sequitur *τοὺς* ex superiore versu male repetitum esse. Cum autem non minus facile fieri potuerit ut *ἀδίκως* a poeta bis positum altero loco omitteretur, genuinam scripturam hanc fuisse licet suspicari:

αἶ τοὺς ἀδίκως θνήσκοντις ὄρατ'
 εὐνὰς (τ' ἀδίκως) ἐπολιεπιμένους.

Ita enim significantur qui nefarii adulterii causa nefarie interfecti sunt.

El. 153—163: οὐτοὶ σοὶ μόνον,

τέχνον, ἄχος ἐγάνη βροτῶν
 πρὸς ὃ τι σὲ τῶν ἐνδον εἰ περισσά, 155
 οἷς ὁμόθεν εἰ καὶ γονεὶ ξύναμος,
 οἷα Χρυσόθεμις ζῶει καὶ Ἰφιάνασσα
 ζουπιτῆ τ' ἀχέων ἐν ἵβῃ
 ὄλιβιος ὃν ἂ κλεινὰ 160
 γὰ ποτε Μιζιραίων
 δέξεται εὐπατρίδα, Αἰὸς εὐφροσι
 βήματι μολόντα τάρδε γὰρ Ὀρέστην.

Pro corrupto *Αἰὸς* scite *ποδὸς* substitui iussit Hauptius. Ceteroqui multum abest ut commodus sententiarum nexus his chori verbis restitutus sit. Ac primum quidem contradictionem in adiecto invenimus in verbis *ζουπιτῆ τ' ἀχέων ἐν ἵβῃ ὄλιβιος*, si scholiastam sequimur sic interpretantem: *ἀχέων μετοχή* ἔστιν ἀντὶ δισσοφῶν ἐπὶ τῷ κεινῷ θῶα ἢ ὃ ἐν ἵβῃ ζουπιτῆ λυπούμενος. Quam ut evitarent, alii *ὄλιβιος* dictum esse voluerunt pro *ὄλιβιος ἐσόμενος* atque ad id confirmandum Hom. Od. XI 448 sqq. allegaverunt, ubi legitur *πάς δ' οἱ ἦν ἐπὶ μαζῶν — ῥήπιος, ὅς ποῦ ῥῦν γε μετ' ἀρδρῶν ἔξει ἀριθυῶν, — ὄλιβιος· ἢ γὰρ τὸν γε πατὴρ φίλος ὄψεται ἐθῶν —, καὶ κείνος πατέρα προσπιύξεται, ἢ θείμις ἐστίν.* Sed ibi longe aliter res se habet. Puer enim cum praesenti tempore felix praedicetur propter futuram fortunam cui nulla praesens calamitas obsistat, contraria est misera exulantis Orestis condicio. Alii *ἀχέων* auctore G. Hermanno genitivum accepe-

runt pendentem a voce *χορηγῶ*, ut Orestes diceretur in iuventa a doloribus semota felix. Sed occulta res non eadem est atque semota; semotum aliquid esse potest quod minime occultum sit. Genetivi autem ad *χορηγῶ* adiuncti exempla quae huc afferuntur prorsus aliena sunt. Nam in Aesch. Suppl. 301 (Weckl.) *καχορηγῶ γ' Ἥρας ταῦτα τέμπελάγματα* amplexus significantur de quibus Iuno celatur itemque in Eurip. Hippol. 154 *χορηγῶ ζῶτα λυγίων σῶν* (σὸν Weckl.) est concubitus de quo Phaedra celatur et in Xen. Conviv. 8, 11 *ἀπόχορηγον πατρός* id est de quo pater celatur. Quomodo igitur hic Orestis iuventus de doloribus celari potest? Nam hoc non idem est atque doloribus carere, quoniam oculi sive celari nihil potest quod non adsit. Licet tamen Hermanni illa interpretatio admittatur, Orestes revera neque felix est neque inventute doloribus libera fruitur, ut clarissime ostendit v. 602 *τλήμων Ὀρέστis δυστυχῆ τρίβει βίον*. Neque ἄχι intellegi possunt Electrae domestica mala, quoniam hac circumscriptione vocabulum caret. Cum igitur *ἀχέων* genetivus esse nequeat, vera est scholiastae interpretatio *ὁ ἐν ἡβῇ χορηγῆ λυπούμενος*, dummodo contradictio tollatur quae est in adiuncto vocabulo *ὄλιβιος*. Nam quod illam ea de causa spreverunt quod participium *ἀχέων* epici sermonis esset neque alibi apud tragicos inveniretur, idem in *ἀγίγωρ*, *ἀτρώγειος*, *ἀδινός*, *ἀδμής*, *ἀλίγχιος*, aliis accidit, quae vocabula epica item uno tragicorum loco exstant. Ad tollendam autem contradictionem sufficit Brunckii ratio, qui *ὄλιβιον* scribi inssit idque *προλιπιτιζῶς* cum *δέξεται* iungi. Quod enim ita hic praedicatur, idem Orestes v. 72 praecatur, ut dii *ἀρχέλιοντον* se reddant, i. e. opum potentem, et *κατασάτιον δόμων*. Sed restat alia repugnantia, quam minus adhuc attenderunt. Si enim *ὄλιβιος* simul ad Orestem pertinet, discrepat quod antea dicitur *πρὸς ὅ τι σὲ τῶν ἔνδον εἰ περισσά*, quoniam Orestes, cum domi non sit, sed in peregrina terra versetur, *τῶν ἔνδον* esse non potest. Neque multum proficimus, si quae de Oreste dicuntur per se stare sumimus. Ita enim cum consanguinei ii tantum dicantur qui intus sunt, Orestes ab Electrae consanguinitate quodammodo excluditur; praeterea masculinum *ὄλιβιος* illum simul comprehendi clarissime ostendit. Quae cum ita sint, vitiatum est *τῶν ἔνδον*. Satis leni autem mutatione ei substituere licet *τῶνδ' ἔξοχ'*, ita ut *τῶνδε ὄλιβιος* idem sit quod *τοῦτων ὄλιβιος* (cf. OR. 383. 798. Ant. 623. Phil. 613) et genetivus *τῶνδε* ab *ἔξοχα* pendeat, qua de re cf. Hom. II. XIV 257 *ἐμὲ δ' ἔξοχα πάντων ζήμι*, Od. VIII 487. XXIV 78. Pind. Ol. I 2. Pyth. V 24. Cum *ἔξοχος* tragicis

in usu fuerit, non est cur *ἔξοχα* iis abiudicetur. Itaque verba de quibus agimus sic legenda esse puto:

οὔτοι σοὶ μούνα,
τένον, ἄχος ἐγάνη βροτῶν
πρὸς ὅ τι τῶνδ' ἔξοχ' εἰ περισσά
ὄλιβιος ἐμὸν εἰ καὶ γονῆ ζύναμος,
ὄλιβιος Χρυσόθεμις ζῶει καὶ Ἰφιάνασσα
χορηγῶ τ' ἀχέων ἐν ἡβῇ
ὄλιβιον ὄν ἄ κλεινὰ
γὰ ποτε Μυζιγείων
δέξεται ἐπατρίδαν, ποδὸς εὐφροῖ
βήματι μολόντα τάνδε γῆν Ὀρέστιαν.

Duabus igitur causis chorus Electram consolatur, malorum societate quae ei cum sororibus et fratre intercedat et exspectato Orestis adventu, ad quarum alteram deinde Electra reliqua strophae parte respondet.

El. 213—220 chorus haec Electram admonet:

φράζου μὴ πρόσω φωνεῖν.
οὐ γνόμαν ἴσχεις ἐξ ὄλων
τὰ παρόντ' οὐκείας εἰς ἄτας
ἐμπίπεις οὕτως αἰκῶς;
πολὺ γὰρ τι κακῶν ὑπερετήσω
σὲ δυσθύμω τίτιονσ' ἀεὶ
ψυχῇ πόλεμους· τὰ δὲ τοῖς δυνατοῖς
οὐκ ἐριστὰ πλάθειν.

215

220

Minus apte post *τὰ παρόντ'* interrogandi nota ponitur. Ita enim verbis quibus deinde interrogationi responderetur *οὐκείας . . . αἰκῶς* non indicatur unde orta sit praesens Electrae condicio, sed qualis ipsa sit describitur. Ut nos cum aliis interpunximus, *τὰ παρόντα* adverbialiter dictum est ut *τὰ νῦν*, *τὰ ἔπειτα*, alia. Sententia haec est: non animadvertis ex qua agendi ratione praesenti tempore in domestica mala tam turpiter incidis? Continetur autem ea agendi ratio *δυσθύμω ψυχῇ*, quae deinde malorum quae sibi ultra modum contraxerit causa esse dicitur. Haec igitur cum facile intellegantur, frustra operam consumpserunt in postremis verbis explicandis, unde idonea non prodit sententia, sive *τοῖς*

δυνατοῖς πλάθειν sive *τοῖς δυνατοῖς ἐριστὰ* iungimus. Infinitivum enim *πλάθειν* a voce *ἐριστὰ* pendere et *τὰ* interius verbi *πλάθειν* obiectum esse volunt. At *ἐρίζειν* certare est. Quis est igitur cum quo Electra certare possit ad potentes accedendo, et si cum potentibus certat, quis est ad quem accedat? Neque licet propriae verbi *ἐρίζειν* notioni alienam supponere, ut aliquam saltem sententiam eliciamus. Itaque suo iure Nauckius hunc locum vitio infectum esse iudicat. Sed scriptura ab eo recepta *σὺ δισθύμῳ τίσιουσ' ἀεὶ — ψυχῆ πολέμουσ τῷ τοῖς δυνατοῖς — οὐκ ἀρεστὰ πρόσσειν*, ubi *τῷ . . . πρόσσειν* interpretatur *ἀντιπείρουσα τοῖς ζητοῦσιν*, non uno nomine displicet. Nam molestiam habet atque obscuritatem duplex dativus causalis *σὺ δισθύμῳ ψυχῆ* et *τῷ . . . πρόσσειν*, et *πρόσσειν*, quod maxime vulgare est, expulsum esse verbo longe exquisitiore minime credibile est. Utique hoc retinendum est. Neque opus est tot litteris mutatis. Scribatur modo: *τί δὲ τοῖς δυνατοῖς — οὐκ ἀρεστὰ πλάθεισ;* i. e. cur autem ad potentes ita accedis sive adversus potentes ita te geris ut iis displiceas? Adverbii enim vice fungitur *οὐκ ἀρεστὰ* ut *ἀζήματα* in v. 164. Aliter nuper Mekler, qui a scholio *τοῖς ζητοῦσιν οὐ δὲ ἐριδος δὲ εἰς ταῦτα προσπείθειν* repetivit *δεῖ τοι δυνατοῖς — οὐκ ἐριστὰ πλάθειν*. Quod quanquam tolerabilem sententiam praebere non nego, tamen scholiasta verbis *οὐ δὲ ἐριδος δὲ* ipsum *οὐκ ἐριστὰ* interpretatur, neque *τὰ δὲ*, quod ille *τὰδε* (= *εἰς ταῦτα*) legit, verisimile est ex *δεῖ* ortum esse; praeterea *ἐριστός* nunquam ut *ἀρεστός* (cf. Ant. 500. OR. 1096) pro adiectivo fuit ad quod revocari possit *ἐριστὰ* adverbialiter dictum.

OR. 483 sq.: *δεινὰ μὲν οὐν, δεινὰ τὰράσει σοφὸς διονοθέτας
οὔτε δοζοῦντ' οὔτ' ἀπογράφουθ' ὅ τι λέξω θ' ἀπορῶ.*

Hic *οὔτε δοζοῦντ' οὔτ' ἀπογράφουθ'* scholiasta interpretatur *οὔτε πιστὰ οὔτε ἄπιστα* itemque pars recentiorum neque probabilia neque improbabilia. Sed *ἀπογράφω*, quod verbum alibi apud antiquiores scriptores non invenitur, non improbare est, sed negare. Neque ad sententiam sufficit *ἀπογράφουθ'*, quod Blaydes coniecit. Nam *ἀπογράφειν* non in iis rebus valet quibus fidem non habemus, sed in iis quibus contenti non sumus, quae notio ab hoc loco aliena est. Propius ad traditas litteras accedit et magis loci sententiae convenit *ἀπαγράφουθ'*, quo rescripto Tiresiae dicta neque probabilia neque fallacia esse dicuntur. Verbum *ἀπαγράφειν* quanquam epici sermonis est, tamen *ἐξαπαγράφειν* etiam Euripides in Ione habet, ubi v. 705 item in carmine legimus *πότηριον ἐξαπαγῶν ἐμῶν*.

OC. 335 sq., postquam Ismena se ipsam patri nuntiam venisse dixit, haec sequuntur:

ΟΙ. οἱ δ' ἀνθρώμαμοι ποῦ νεανία πορεύιν;

ΙΣ. εἰς' οὐλέφ' εἰσι· δεινὰ τὰν κείνοισ τανῦν.

Ad priorem versum interpretandum Eurip. Or. 1472 afferunt: *ποῦ δῆτ' ἀμύνειν οἱ κατὰ στέγας Φρύγες;* Sed ita parum distinctum est *πορεύιν*, quod quo pertineat ex iis demum quae postea Oedipus v. 342 sqq. dicit intellegitur. Necessarium saltem esset *τοῦτο* vel *τόδε πορεύιν* respiciens ad ea quae de se nuntium afferente antea Ismena praedicavit. Hic vero *πορεύιν* ita dictum est ut omnis opera significetur, non ea quae ad sublevandam miseram patris condicionem suscipiatur, de qua revera Oedipus cogitat, ut ex iis quae postea persequitur apparet. Neque opus omnino in v. 335 est hac significatione, cum postea Oedipus cur de filiis quaerat fusius exponat v. 337—356. Quare mihi duorum de quibus agimus versuum exitus inter se videntur permutati esse et sic restituendi:

ΟΙ. οἱ δ' ἀνθρώμαμοι ποῦ νεανία τανῦν;

ΙΣ. εἰς' οὐλέφ' εἰσι· δεινὰ τὰν κείνοισ πορεύι.

De *δεινὰ πορεύι* = *δεινὸς πορεύι* cf. *δεινὰ ἐβρίθειν* Xen. Anab. VI 4, 2.

OC. 1298—1304 Polynices, postquam patri se a fratre expulsum esse narravit, sic pergit:

ὄν ἐγὼ μάλιστα μὲν

τὴν σὶν ἐρινὲν αἰτίαν εἶναι λέγω·

ἐπιτα γὰρ μάντιων ταῦτη κλύω.

ἐπεὶ γὰρ ἦλθον Ἄργος ἐς τὸ Λοφισόν,

λαβὼν Ἀδραστιον περθερὸν ξυνομότας

ἔστησ' ἔμμεντῷ γῆς ὄσοιπερ Ἀπίας

πρότοι καλοῦνται καὶ τετίμηται δόρει.

Hic cuius rei causam vel explicationem *γὰρ* indicet non invenitur. Cui difficultati ut subvenirent, ad artificiosas interpretandi rationes confugerunt. Polynicem enim opinantur addere quidem voluisse quae vates sibi, cum Argos venisset, aperuissent, sed hoc omittere occupatum Argivi itineris et societatis acquisitae narratione. Neglegentiam igitur poëtae excusant, quam tamen facillime evitare poterat, si alia transitione usus esset. Neque quisquam ullum exemplum coniunctionis *γὰρ* simili neglegentia adhibitae attulit. Et cur poëtae potius quam librariorum socordiam

reprehendamus? Eñiam multo magis culpandus esset poëta, si ita locutus esset ut alii interpretes volunt. Putant enim a γέρον voce exordiri expositionem vaticiniorum, cui narratio illa praemittatur; sed revera illam non sequi post narrationem, sed alii rei v. 1331 sq. adiungi. Omitto quam implicata et tortuosa sit haec ratio; ne illud quidem verum est quae a vatibus Polynices audiverit postea exponi. Nam oraculum v. 1331 sq. commemoratum diversum est a vatum dictis quae Polynices v. 1300 affert. Quae cum ita sint, γέρον in v. 1301 explicationem non habet. Accedit aliud. Componit Polynices quod ipse existimat cum vatum dictis. Sed hoc 'ipse' in eius verbis desideratur. Eius autem addendi opportunitas nobis praebetur ipsa librorum memoria. Vocabulum enim *ἐπειτα*, a quo v. 1300 orditur, ortum videtur esse ex altera eaque vera lectione *ἐπειτα δ'* insequentis versus initio *ἐπεὶ γὰρ* superscripta, qua genuinum v. 1300 exordium expulsum sit. Ita si statuimus facillime omnia in perspicuum sententiarum ordinem coeunt. Legatur enim:

ὄν ἐγὼ μάλιστα μὲν
τὴν σὴν ἐρονὴν αἰτίαν εἶναι λέγω
(αὐτός τε) γὰρ μάντιων ταύτη γέλω.
ἐπειτα δ' ἦλθον Ἄργος ἐς τὸ Λοκίζόν,
λαβὼν (εἰ) Ἀθρᾶσιον περιθροὺν ξυνομιᾶς
ἔστις ἐμαντιῶν κ. τ. λ.

OC. 1583 sq. de Oedipo mortuo haec nuntius dicit:

ὡς κλειστότα
ζῆνον τὸν ἀεὶ βίσιον ἐξεπίστασο.

Consentiunt fere *ἀεὶ* corruptum esse. Nempe non sempiterna est vita quam reliquit Oedipus, sed ea quam nunc degit *τὸν ἀεὶ κατὰ γὰρ σόβιον εἰμέρος* (1701). Prolatis autem emendationibus facilius neque minus aptum mihi videtur *τὸν ἀεὶ βίσιον*, ubi *ἀεὶ*, hic in terris, eodem modo dictum est quo *ἐνθάδε βίον*. Cf. etiam Plat. de rep. 496 e *τὸν ἐνθάδε βίον*. Non omnino alienum fuisse a tragicorum usu *ἀεὶ* pro *αὐτόθι*, quo abstinerunt, dictum demonstrat fragm. 468 (Dind.) *σὺ δ' αὐθι μίμων που καὶ Ἰθάκην χθόνα — ποίμνας Ὀλύμπου συναγωγὸν θυπέλι*, ubi Nauckius temere *αὐτε* coniecit. Idem est in Aesch. Suppl. corrupto et lacero v. 839. Cf. etiam *αὐθιγενίης* in Eurip. fragm. 475 a (Dind.).

OC. 1702 sq. Antigona patris decessum quæta hæc adiungit:

οὐδὲ γέρον ἀγίλιτος ἐμοί ποτε
καὶ τῶδε μὴ συζητήσῃ.

Pro *γέρον*, quod ineptum est, cum Oedipus vita decesserit, alii alia coniecerunt. Ex quibus ad sententiam maxime conveniunt *θάρων*, quod Elmsleius, et *γ' ἐρεθ'*, quod Bergkii commendavit. Eundem tamen sensum faciliore mutatione præbet *οὐδὲ γὰρ ὄς*, i. e. nam ne sic quidem, quanquam es *τὸν ἀεὶ κατὰ γὰρ σόβιον εἰμέρος*. De *οὐδὲ ὄς* cf. Ant. 1042.

Ant. 124—126 chorus aquilam, quae hostilis exercitus ei est imago, postquam in terram involaverit et circum urbem praedae inhiaverit, discessisse gloriatus, hæc addit:

τοῖος ἀμφὶ νῶν' ἐτάθη
πάταγος Ἄρκτος ἀντιπάλου
δυσχείρωμα δράζοντι.

125

Sic Laur. cum manus antiquae correctione *ἀντιπάλου — δράζοντος*. Principalem postremorum verborum scripturam Nauckius interpretatur 'opus reluctanti draconti, i. e. Thebanorum exercitui, difficile'. Sed *δυσχείρωμα* non est opus difficile factu, sed res ad superandum difficilis. Cum hoc igitur sensu alii manus antiquae correctionem præferentes *δυσχείρωμα δράζοντος* ineluctabilem dracontis impetum significare volunt, draconte Thebanos ideo designari putantes quod Thebani sint *δραζοντογενεῖς* et draco apud poëtas aquilae infestus. Sed mihi ne hac quidem interpretatione omnis exemptus est scrupulus. Nam figurata illa Thebanorum appellatio longius videtur accessita esse quam quae facile intellegi potuerit (diversa enim est hostilis exercitus cum aquila comparatio, quam ipse poëta v. 113 expresse significat), et si poëtae menti obversatus esset celeberrimus ille quem afferunt Homeri locus quo aquilae cum draconte pugna describitur (II. XII 200 — 207), non draco aquilam fugare, sed aquila dracontem devincere debebat. Neque aliter imaginem animo concepit Horat. Carm. IV 4, 11 sq. Quare mihi hic locus secundum Laur. memoriam sic videtur reformandus esse:

τοῖος ἀμφὶ νῶν' ἐτάθη
πάταγος Ἄρκτος ἀντιπάλου,
δυσχείρωμα δράζοντι,

quo facto Martis adversarii strepitus res ineluctabilis fuisse dicitur aquilae,

eum eum percepisset. Cum enim vocabuli *δραζοντι* antepenultimam syllabam perperam acuentes *ἀντιπάλων* appellari draconem opinarentur, corrigendo aut *ἀντιπάλω* aut *δραζοντος* intulerunt, unde orta est scripturae discrepantia in Laur. notata. De verbo *δέρξασθαι* ad auditum translato cf. notissimum illud Aeschyli (Sept. 100) *ζύλον δέδορξα* atque similiter dictum in eiusdem Suppl. v. 842 *ὄρω τάδε φροίμια* et apud ipsum Sophoclem *φονῆ γὰρ ὄρω* in OC. v. 138. Participio *δραζόν* etiam Euripides usus est (Herc. 951). Verba autem *τοῖος ἀμφὶ ῥῶτ' ἐτάθη πάταγος ἄρεος* nihil offensionis habent, si *ἀμφὶ ῥῶτα* pariter *προληπτικῶς* accipimus atque *ταφῆς ἄτερο* in Ai. 1387 sq. *ἠθελισάτην — ἰωβητὸν αὐτὸν ἐκβαλεῖν ταφῆς ἄτερο* dictum est pro *ὥστε ταφῆς ἄτερο εἶναι*. Hac enim ratione strepitus bellicus ita aquilae circumfusus esse dicitur ut a tergo esset, i. e. in fugam eam compelleret.

Sequuntur haec (127—133):

*Ζεὺς γὰρ μεγάλης γλώσσης κόμπους
ὑπερχθαίρει, καὶ σφας ἐσθδὼν
ξέματι πολλῷ προσνισσομένους
χορσὸν ζαναχῆς ὑπεροπτίας,
πάλτῳ ἕπιται περὶ βαλβίδων
ἐπ' ἄζρων ἴδι
ρίζην ὀρυμῶντ' ἀλάλαζα.*

Sic in v. 130 Laur. cum antiquae manus correctione *ὑπεροπτίας*. Nauckius igitur *χορσὸν ζαναχῆς ὑπεροπτίας* scripsit, quod interpretatur 'superbientes strepitu armorum auro ornatorum'. Sed licet in vocabulo *ὑπεροπτίας* longa paenultima satis exeusetur Homericō *ὑπεροπλίαν* (Il. I 205), tamen auri strepitum pro armorum auro ornatorum strepitu posse dici non credo, praesertim cum talium armorum neque antea facta sit mentio et hoc ipso loco ne levissimum quidem sit indicium; praeterea ex Nauckii interpretatione dativi *ὑπεροπτίας* rationem parum comprehendō, qui si modum accedendi significat, utique molestissimus est post *ξέματι πολλῷ* eodem modo dictum; neque participium *ὀρυμῶντ'* nude positum probo, quod 'aliquem parantem' interpretantur, cum de certo quodam homine, qui est Capaneus, cogitetur, et male fulcire student locis quales sunt v. 256. El. 697. 771. 1323, qui, cum de incertis hominibus sermo sit, aliter sunt comparati. Ut igitur hoc participium nomen habeat quo referatur, *ὑπεροπτιν* legendum esse

censeo. Ita tamen, cum metrorum responsio et sententiae continuatio acatalectum dimetrum postulet, una longa syllaba deest. Qua suppleta sic fere poetam scripsisse puto:

*καὶ σφας ἐσθδὼν
ξέματι πολλῷ προσνισσομένους
χαύρου ζαναχῆς, (φῶθ') ὑπερόπτιν
πάλτῳ ἕπιται περὶ βαλβίδων
ἐπ' ἄζρων ἴδι
ρίζην ὀρυμῶντ' ἀλάλαζα.*

Ita pro auri strepitu, qui hic nullus est, vanum sive inflatum habemus. Cf. Sol. fragm. 34 *χαύνα μὲν τότ' ἐφράσαντο*, Pind. Pyth. II 61 *χαύνα προπιδι πάλαιμονεὶ ζενεά*, Nem. VIII 45 *ζενεῶν δ' ἐλπίδων χαύρον τέλος*, Plat. Legg. 728 e *χαύρους τὰς ψυχὰς . . . ποιεῖ*. Cum *ξέματι χαύρου ζαναχῆς* cf. OC. 258 sq. *ζηλόνοτος καλῆς — μάτην θεούσης*.

Amplioris depravationis exemplum habemus alio Antigoniae loco. Postquam enim custos Polyniceis corpus pulvere insperso et observato sacro caeremoniarum funebrium ritu (hunc enim *ἐθαγιαστέειν* significat in v. 247) humatum esse rettulit et Creonti quis id perpetravisset interroganti respondit nullius hominis vestigia apparuisse, iam v. 253—258 sic narrare pergit:

*ὅπως δ' ὁ πρῶτος ἡμῖν ἡμεροσκόπος
δείξει, πάσι θάυμα δυσχερὲς παρῆν.
ὁ μὲν γὰρ ἠγάνιστο, τυμβήρης μὲν οὐ,
λεπτή δ' ἄγος φέροντος ὡς ἐλῆν ζόντις.
σημεῖα δ' οὔτε θηρὸς οὔτε του ζωνῶν
ἐλθόντος, οὐ πλάσαντος ἐξεφαίνετο.*

Ubi postrema verba futtili additamento interpolata esse existimo. Neque enim agitur nisi de sepultura mortui, quis eius corpus pulvere consperserit eique iusta persolverit. Cui igitur in mentem venire poterat hoc a fera vel cane aliquo factum esse? Num bestiae humanae rationis expertes talia praestare possunt? Utique funeri debita rite solvere (*ἐθαγιαστέειν*) nemo potest nisi homo. Atque ipse custos se de nullo alio nisi de homine cogitare eo satis indicavit quod nulla hominis vestigia inventa esse regi sciscitanti explicare v. 249—252 demonstravit. Quid porro sibi vult *οὐ πλάσαντος*? Quasi vero e loco suo tractum vel laniatum

sit mortui corpus, quod factum esse ne minimo quidem indicio custos prodidit, aut corpus tractum vel laceratum ad eius sepulturam quidquam attineat. Mihi haec omnia plane videntur absurda esse. Itaque iis partim seclusis partim minima litura correctis haec poetae reddantur:

σιμεία δ' [οὔτε θνητὸς οὔτε τῶν ζωνῶν
ἐλθόντος] οὐ πάσαιτος ἐξεφαίνετο.

Susplicari licet ea quae cancellis saepissimum ab insulso aliquo interpolatore addita esse ad explicandam corruptam scripturam οὐ πάσαιτος, quam sequi debebant. Quod huic verbo substituiimus πάσαιτος a verbo πάσαιεν, conspergere, deductum eandem vim habet quam in v. 247 πάλαιας.

Ant. 672—675: ἀναρχίας δὲ μείζον οὐκ ἔστιν κακόν.
αὐτὴ πόλεις ὀλλύσιν, ἢ δ' ἀναστάτους
οἴζους τίθεισιν, ἢ δὲ συμμάχου δορὸς
τροπὰς καταρρήγνυσι.

675

Interpretibus parum successit locutionis τροπὰς καταρρήγνυσι explicatio, quam, similia esse putantes ἔλκος ῥήξαι et ἔλκος οὐτάσαι, idem valere dicunt atque 'fugam rumpendo (ordines) efficere'. Sed ipsa ἀναρχία ordines non perumpit, sed causa est cur ab hostibus perumpantur. Deinde ipsum vulnus cum ῥήγμα quoddam esse possit, ἔλκος ῥήξαι secundum figuram etymologicam dictum est, pariterque ἔλκος οὐτάσαι et in Verg. Aen. VIII 391, rupta rima. Num autem fuga, etiamsi ordinibus rumpendis efficitur, eodem modo sit καταρρήξις quaedam valde dubito, quia καταρρήγνυσι confringere et discindere potius est quam rumpere. Quare nunquam ut simplex ῥήγνυσι (cf. Hom. Il. XI 90. XIII 680. 718. XV 409) videtur translatum esse ad aciem et pugnantium ordines. Prorsus autem aliena sunt quae huc afferuntur νεῖκος ἀναρρήξαντες Theoc. XXII 172, ξοῖδα ῥήγνυσι Hom. Il. XX 55, αὐδὴν, φωνὴν ῥήγνυσι, ubi ῥήγνυσι est efficere ut aliquid erumpat. Cum igitur τροπὰς καταρρήγνυσι explicationem non videatur habere, συμμάχου δορὸς — τροπὰς καταρρήγνυσι ut legatur suadeo, ita ut imperii recusatio societatis rationem et habitum confringere dicatur, de qua τροπῶν significatione cf. Ai. 736. 1246.

Ant. 688—691 haec Haemon ad patrem:

σοὺ δ' οὐκ ἔγωγε πάντα προσζολεῖν ὅσα
λέγει τις ἢ πράσσει τις ἢ ψέγειν ἔχει.

τὸ γὰρ σὸν ὄμμα δεινὸν ἀνδρὶ διμότηι ⁶⁹⁰
λόγοις τοιούτοις οἷς σὺ μὴ τέρψει κλέων.

Frustra laborant in explicando dativo λόγοις τοιούτοις. Quomodo enim regis adspectus talibus dictis formidabilis esse potest? Nam τοιούτοις λόγοις pro τοιαῦτα λέγοντι poetae dixisse quis credat? Neque melius alii haec ita interpretantur quasi legatur σὲ γὰρ φοβέται ἀνὴρ διμότης λόγοις τοιούτοις. Nam homo regem adspiciens veretur talia dicere ideoque tacet. Quomodo igitur quae non dicit in causa esse possunt cur regem timeat? Sana restituta est sententia, si duorum versuum ordine permutato sic legimus:

σοὺ δ' οὐκ ἔγωγε πάντα προσζολεῖν ὅσα
λέγει τις ἢ πράσσει τις ἢ ψέγειν ἔχει
λόγοις τοιούτοις οἷς σὺ μὴ τέρψει κλέων.
τὸ γὰρ σὸν ὄμμα δεινὸν ἀνδρὶ διμότηι.

Cf. ψέγει λόγῳ in Eurip. fragm. 658.

Ant. v. 795—800 chorus amoris vim his verbis praedicat:

νικᾷ δ' ἐραρχίης βλεφάρων ἡμερὸς ἐνέκτιρου ⁷⁹⁵
νύμφας, τῶν μεγάλων πάρεδρος ἐν ἀρχαῖς
θεσμιῶν· ἄμαχος γὰρ ἐμπαῖζει θεὸς Ἴηροδίτα. ⁸⁰⁰

Quid sibi vellet ἐν ἀρχαῖς verbis τῶν μεγάλων πάρεδρος θεσμιῶν interpositum nemodum perspexit. Qui enim haec intellegi posse opinantur in duas partes discesserunt, cum genitivum τῶν μεγάλων θεσμιῶν aut ab ἀρχαῖς aut a πάρεδρος pendentem facerent. Sed ne ex ipsis quidem his verbis rationibus quamvis artificiosis adhibitis satis perspicuam sententiam extorquere potuerunt. Et quae sequuntur clarissime ostendunt amorem neque legibus assidere neque in legum imperio. Invieta enim cum Venus dea illudat, ne amor quidem quem hominibus inspirat legibus paret aut earum imperio cedit. Quod vero gravissimum est, cum chorus continuo addat νῦν δ' ἦδη ἐγὼ καὶ τὸς θεσμιῶν — ἔξω γέρομαι τὰ δ' ὄρων, manifesto indicat antea idem de amore dictum esse, eum extra leges esse. Quod cum probe intellexisset G. Dindorfius, πάρεδρος ἐν ἀρχαῖς coniecturam esse interpolatoris verbis ἐραρχίης βλεφάρων superscriptam suspicatus in eius locum ἐκτὸς ὁμιλῶν intulit. Sed hoc nimium est. Nam causam non video qua πάρεδρος, vocabulum a tragici sermonis dignitate haud alienum (cf. Eurip. Med. 843. Troad. 573 et παρεδρεῖς Alc. 746), abicere cogamur, et illa verba ita ut Dindorfius

putat orta esse parum verisimile est. At vero certum est, ut locus ei notioni detur quam hic excidisse manifestum est, ἐν ἀρχαῖς amovendum esse, quod ab huius loci cohaerentia plurimum distat et supra metrum est et emendationem vix patitur. Quare in poëtae verba videtur ex interpretis adnotatione immigrasse in qua magistratum πάρεδροι commemorarentur, qualem exempli causa hanc sibi fingere licet: *πάρεδροι ἐν ἀρχαῖς ἴσαν ἴσαν τοῖς ἀρχοῦσι βοιωθὸν καὶ σύμβουλοι*. Talis autem interpretatio ut oriri potuerit, *πάρεδρος* quoquo pacto retinendum est. Sufficit autem expulso ἐν ἀρχαῖς ex posterioribus verbis id ipsum addere quod hic desideratur hunc in modum:

*καὶ δ' ἐναογῆς βλεφάρων ἡμερος εὐέκτιστον
 ἴμενος, τῶν μεγάλων πάρεδρος (ἔξω)
 θεομῶν· ἄμαχος γὰρ ἐμπάσσει θεὸς Ἀφροδίτα.*

Ita omnia concinunt. Nam amor extra leges, i. e. legum nulla ratione habita, amantibus assidere dicitur, cui simile est in fragm. 234a *ἔξω δίτης χωρεῖν*. Etiam metrum aequabile est. Pro strophae enim choriambō hic diiambum habemus (*πάρεδρος* ut *ἔδρας* OR. 2).

Venimus nunc ad conelamatum illum locum qui ad similitudinem eorum conformatus est quae Herodotus (III 119) Intaphernis uxorem Dario respondisse narrat: *ἀνὴρ μὲν μοι ἂν ἄλλος γένοιτο, εἰ δαίμων ἐθέλοι, καὶ τέκνα ἄλλα, εἰ ταῦτα ἀποβάλοιμι· πατὴρ δὲ καὶ μητὴρ οὐκέτι μοι ζώοντων ἀδελφεὸς ἂν ἄλλος οὐδὲν ἰσόληρον γένοιτο*. Haec igitur imitatus Sophocles sic argumentantem Antigona v. 905—912 facit:

*οὐ γὰρ ποῖ' οὐτ' ἂν, εἰ τέκνον μήτηρ ἔφυν, 905
 οὐτ' εἰ πόσις μοι καιθανὸν ἐτίθειτο,
 βίη πολιτῶν τόνδ' ἂν ἠρόμην πόρον.
 τίσις νόμον δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω;
 πόσις μὲν ἂν μοι καιθανόντιος ἄλλος ἦν
 καὶ παῖς ἄπ' ἄλλου φαιός, εἰ τοῦδ' ἠμπαζον· 910
 μητὴρ δ' ἐν Ἄιδου καὶ πατὴρ ζεζευθότου
 οὐκ ἔστι' ἀδελφὸς ὅστις ἂν βλάστοι ποίε.*

Hos versus cum multi fuerint qui Sophocleis eximendos esse crederent, longum est neque satis utile horum opiniones eorumque qui contra dixerunt causas omnes deinceps recensere. Itaque satis habeo meam sententiam breviter proponere causisque

firmare. Ac primum quidem hi versus non sine damno aliquo absunt. Ita enim quae sequuntur iis quae antecedunt non apte adiunguntur. Qua re Dindorfius commotus est ut etiam v. 900—904 et 913—928 secluderet, qui ipsi nullam offensionem habent et speciem sermonis Sophoclei prae se ferunt. Pauciores ex his, ut sententiarum conexum efficerent, alii damnaverunt, sed inter se dissentientes. Deinde vero, quod gravissimum est, hos versus in Antigona legebat Aristoteles, qui hac parte pro exemplo argumentationis usus est in tertio I. Rhetor. et duos postremos versus exscripsit. Dicit enim (nam ipsius Aristotelis esse hunc librum Dielesius certis causis demonstravit) III 16 p. 1417 a 29—33: *παράδειγμα τὸ ἐκ τῆς Ἀντιγόνης, ὅτι μᾶλλον τοῦ ἀδελφοῦ ἐκίθετο ἢ ἀνδρὸς ἢ τέκνων· τὰ μὲν γὰρ ἂν γενέσθαι ἀπολομένα,*

*μητὴρ δ' ἐν Ἄιδου καὶ πατὴρ βεβηχότων
 οὐκ ἔστι' ἀδελφὸς ὅστις ἂν βλάστοι ποίε,*

ubi nullius est momenti quod aut discrepanti sui exemplaris scriptura usus aut negligentia vel memoria deceptus *βεβηχότων* pro *ζεζευθότων* scripsit. Legebantur igitur Aristotelis tempore hi versus in Sophoclis exemplaribus neque ipsi Aristoteli suspicionem moverunt. Accedit quod etiam aliis locis poëta rerum scriptoris sibi amici vestigiis institit. Velut *ἀρχαῖος* ille *λόγος* qui in Trachiniarum exordio affertur idem est quem Solonem Croeso fortuna superbienti opposuisse narrat Herod. I 32; in OC. v. 339 sqq. Aegyptiorum moris mentio fit quem Herod. III 35 describit, similiterque in fragm. 420 Scytharum consuetudo respicitur quam Herod. IV 64 commemorat; quae de oraculo Dodonaeo leguntur in Trach. v. 171 sq. non solum rebus, sed partim etiam verbis congruunt cum iis quae Herod. II 55 refert, nec minus in El. 417 sqq. simile est Clytaemestrae somnium Astyagis somnio quod Herod. I 108 memoriae tradit. Haec omnia qui secum diligenter reputaverit, haud facile adducetur ut hos versus pro spuriis habeat. Nihilominus concedendum est quaedam in iis esse quae ad propositam rerum condicionem et exempli Herodotei rationem parum accommodata sint. Ad eas enim exprimendas non sufficit quod Antigona dicit, si liberorum mater esset, se laborem illum invitis civibus non suscepturam esse; sed dicere debet se id non esse facturam, si liberi quos haberet mortui essent. Attamen hoc ne litterula quidem mutata corrigitur, si sic scribimus:

οὐ γὰρ ποῖ' οὐτ' ἂν, εἰ τέκνον ὄν μήτηρ ἔφυν,

οὐτ' εἰ πόσις μοι καταθρόνῳ ἐτίθεται,
βίη πολιτῶν τόνδ' ἄν ἠρόμεν λόγον.

Similiter a se ipso et ab Herodoto poeta in v. 910 discrepat, quoniam, sive τοῦδε ad παῖς vocem refertur, de uno infante sermo est, cum antea liberos suos mortuos esse cum Herodoto consentiens Antigona sumpserit, sive vir intellegitur, eadem hic ponitur condicio quae verbo καταθρόνῳ significata est, cum in loci initio ad Herodoti exemplum hae duae positae sint ut aut liberi aut maritus vita decesserit; insuper, utramcunq; rationem sequimur, modus ibi constitutus eo exceditur quod maritum cum infante vel liberis mortuum esse cogitatur, cum mulier quae liberos amiserit etiam a superstitute marito alios nancisci possit. Sed haec discrepantia, quamvis magna sit, tamen non ea est qua totum locum a poeta abiudicare cogamur, cum liberiorum socordia vel stultitia aliquid peccatum esse possit. Sublata est, si v. 910 paucarum litterarum emendatione sic corrigimus:

καὶ παῖς ἀπ' αὐτοῦ φωτός, εἰ τῶνδ' ἠμπίλαρον.

Ita ἀπ' αὐτοῦ φωτός, ab ipso marito, dicitur propter superius πόσις ἄλλος, cui opponitur, et τῶνδε eo modo ad τέτρα quod est in v. 905 respicit ut post παῖς quod proxime praecedit pro τῶν παίδων dictum sit. Similiter in Xen. Hier. 3, 4 post γενή sequitur αὐτός, in Plat. Conviv. 207 b ἐπὶ τούτων post τοῦ γενομένου, in Phaedr. 233a ἐξείροι post ἐραστῆ, qua de re cf. Kruegeri Gram. § 58, 4 adn. 4. Iam vero hoc loco nihil restare videtur difficultatis. Sane non eadem est rerum condicio apud Herodotum et Sophoclem. Apud illum enim agitur de servando vivo fratre, apud hunc de sepeliendo mortuo. Sed etiam in OC. loco supra memorato similis est diversitas, cum Oedipi filii non ut apud Herodotum viri Aegyptii texentes domi sedeant, sed acri certamine inter se contendant. Argumentandi igitur subtilitas poetae, qui in aestimandis disserendi argutiis non abhorrebat a communi Atheniensium et sui temporis sensu, adeo placuit vel, si ita vis, imposuit ut eam etiam ad efficacius efferendam rerum condicionem aliquantum diversam adhiberet. Neque ultra modum explicari debet eius acumen in eam consecutionem ut, si parentes superstites essent, Antigona corpus fratris inhumatum canibus et avibus rapacibus permissura fuerit. Nam hoc unum de sorte sua vehementer quæsta ostendit, ut antea in parentes et Eteoclem, sic nunc in Polynicem se pietatis officio functam esse, idque eo cupidius quod, cum parentes mortui sint, non iam habitura sit fratrem cui id officium praestet ideoque sibi

frater etiam carior esse debeat quam, si nupta esset, coniux aut liberi. Hac igitur comparatione singularem officii necessitatem declarat atque illustrat.

Trach. 92 sq. haec Deianira ad Hyllum:

ζόφει γιν, ὃ παῖ· καὶ γὰρ ἐστέφω τό γ' εὖ
πράσσειν, ἐπεὶ πύθοιτο, ζέφδος ἐμποίῃ.

Sequuntur fere hanc Hermanni interpretationem: 'hoc dicit: etiam serius venienti prosperae quidem res, ubi de iis audierit, lucrum afferunt; apertum est τὸ εὖ πράσσειν non eius intellegi qui comperiat, sed illius de quo comperiat'. Sane, ut sententia huic loco conveniens efficiatur, ita interpretandum est. At si dicendi consuetudinem observamus, τὸ εὖ πράσσειν ζέφδος ἐμποίῃ nihil aliud significare potest nisi prosperae res ei qui iis utitur lucrum afferunt, itemque ad ἐστέφω e verborum cohaerentia subaudiri non potest ἵζορτι, sed εὖ πράσσειν. Eo autem modo si verba accipimus, prorsus inutile est ἐπεὶ πύθοιτο. Quare cum minima mutatione ἐπεὶ πύθοιτο legendum esse existimo, unde sententia evadit ad diverbii consequentiam maxime accommodata. Postquam enim Deianirae roganti ut sibi de mariti fortuna sollicitae opitularetur Hyllus respondit, si oraculum novisset, se iam diu ad patrem profecturum fuisse, iam vero cum id compertum haberet, nihil omisurum esse quin de rebus eius certior fieret, mater eum ire iubet addens, etiamsi quis serius recte faciat monenti obsecutus, id lucrum afferre. Nam εὖ πράσσειν hic non est 'secunda fortuna uti', sed 'bene' sive 'recte facere', ut in Aesch. Choeph. 1043 εὖ γ' ἐπραξας.

Sequitur primum chori carmen, cuius exordium (94—96) hoc est:

ὄν ἀόλια νύξ ἐραγίζομένα
τίστιν κατανύξαι τε γλογίζομενον,
Ἴλιον Ἴλιον αὐτὸ.

95

Non intellegitur quomodo nox sideribus variata dum exit (ἐραγίζομένα) solis excandescens et ortum et occasum efficere possit. Quare fuerunt qui, ut γλογίζομενον ad solum κατανύξαι referretur ab eodemque ἐραγίζομένα sciungeretur, ante illud γερνομένην subaudirent, quod unde sumatur non apparet. Alii temere ἐραγίζομένα, vocabulum minime vulgare, in suspicionem vocarunt propriam eius vim parum animadvertentes. Speciose enim poeta noctem, quam in Attica plerumque serenam et sublustrem videbat, oriente sole stellarum ornamento tanquam spoliari fingit. Cum vero nocti quae luminibus suis privatur commode ex

adverso cogitetur nox iisdem effulgens (nam subito in poëtae patria et brevissimo intercedente diluculo ingruerat), mihi *γλογοιζομένα* videtur scribendum esse, quod insuper verborum aequabilitas et chiasmi elegantia commendat. Ita enim nox dum stellarum lumine spoliatur solem gignit, cubili tanquam committit dum eo effulget.

In eiusdem carminis v. 122 sq. chorus Deianiram allocutus haec dicit:

ὄν ἐπιμεμομένα σ' ἄ—
δεῖα μὲν, ἀντία δ' οἶσω.

Pro corrupto σ' ἄδεῖα Musgravius σ' ἀδοῖα coniecit, haud ineptum quidem, si ipsam vocem ἀδοῖα spectamus, sed pronomini accusativus contra sermonis usum est, qui, sive ad ἐπιμεμομένα sive ad ἀντία οἶσω id refertur, dativum flagitat. Nam locutionis ἐπιμέμωσθαί τινα nullum affertur exemplum, et quae accusativi cum hoc verbo iuncti innotuerunt, Callim. IV 163. Plut. Mor. 126 e. Anthol. VI 83, hunc solum habent et posterioris sunt aetatis; praeterea apud Callimachum dativum subaudire licet et Plutarchi locus valde suspectae est fidei. Nec magis probatur σ' ἔδεῖα, quod Blaydes poëtae tribuit. Nam se vituperantem extimuisse chorus dicere nequit, cum nondum vituperaverit, sed vituperaturus sit. Equidem sic scribendum esse censeo:

ὄν ἐπιμεμομένα σοι
λεῖα μὲν, ἀντία δ' οἶσω,

quo restituto chorus dicit se Deianirae lenia quidem, sed contraria prolatum esse, i. e. quae improbant eius timiditatem atque anxietatem. Cf. Aesch. Prom. 674 *λεῖοισι μύθοις*, Plat. Tim. 67 b *ὁμολήν τε καὶ λείαν (φωνήν)*, Cratyl. 406 a *τὸ μὴ ἰσχυρὸν τοῦ ἡθους ἀλλ' ἡμερόν τε καὶ λείον* et cum ἀντία οἶσω Aesch. Ag. 1414 *οὐδὲν . . . ἐναντίον φέρων*. Etenim omnino comprobo Hensei sententiam, qui stropham β (112—121) et antistropham β (122—131) transmutandas esse demonstravit. In tradito enim ordine antistropha, cum a verbis ὄν ἐπιμεμομένα exordiat, strophae, in qua de Herculis fortunae vicissitudinibus sermo est, nullo conexu adiungitur, quoniam de varia coniugis fortuna chorus Deianiram reprehendere nequit. Inverso vero illarum ordine ὄν ad timidum et anxium eius animum refertur, de quo in antistropha α (103—111) dictum est; chorus autem, postquam fortunae humanae inconstantiam, quam antea versibus qui in tradito ordine sunt 126—131 persecutus est, ipsius Herculis

exemplo v. 112—118 illustravit, post interpositam sententiam *ἀλλὰ τις θεῶν . . . ἐφύλα* (119—121) epodo Herculis sortem ad communem hominum fortunam rursus referens ad humanae vitae inconstantiam redit.

Trach. 553 sq.:
*ἦ δ' ἔγω, φίλαι,
λυτήριον λέπλιμα τῆδ' ἐμῖν φράσω.*

Cum λέπλιμα accusativus esse nequeat a λυτήριον pendens, corruptum id esse fere consentiunt. Sed frustrati sunt emendandi conatus, quod non solum a traditis litteris nimis recedunt, sed etiam vocabulorum consonantiam tollunt, quam poëtam hic non minus consulto quaesivisse puto quam cum in Ant. v. 1263 sq. *παιρόντας τε καὶ — θανάσιος*, in El. 688 *ἐν πολλοῖσι παῖρα*, in fragm. 182 *λόθεν ποτ' ἄλυπον ὄδε ἡῆρον ἄνθος ἀνίας*, in fragm. 964 *καλῶς κακῶς πρόσσοντι συμπαρανέσαι* scriberet. Quidni igitur pro λέπλιμα faciliore emendatione *λύπλις τι* substituamus? Cf. El. 1489 sq. *τόδ' ἄν κακῶν — μόνρον γένοιτο τῶν πάλια λυτήριον*, fragm. 697 *τὸ μεθύειν πημονῆς λυτήριον*.

Trach. 1008: *ἀναιέροσας ὅ τι καὶ μύσῃ.*

Neque coniunctivus generalis hic locum habet, cum haec ad eum dicantur qui Herculem modo manibus prehendit, neque καί quid hic valeat intellego. Alteram tantum offensionem sustulit Blaydes *καμύσῃ* coniciens; sed novam intulit, cum *καμύσῃ* Atticis abiudicandum sit. Cf. Lob. ad Phryn. p. 339 sq. Legatur igitur *κατέμυσεν*.

Trach. 1066—1069:

*δός μοι χροῖν σῆν αὐτὸς ἐξ οἴκου λαβῶν
ἐς χεῖρα τῆν τεροῦσαν, ὅς εἰδῶ σάφα
εἰ τοῦμὸν ἀγρεῖς μᾶλλον ἢ κείνης ὄρων
[λωβητὸν εἶδος ἐν δίζῃ κακούμενον].*

Iure eiecerunt postremum versum a Cicerone omissum, qui vertit: 'iam cernam mene an illam potiore m putes', quoniam Hercules filium eo ipso quod matrem sibi in manus tradat ostendere vult patris calamitatem sibi magis cordi esse. Aliena igitur est scholiastae interpretatio: *ἵνα μάθω πότμον ἐπεὶ ἐμοὶ νοσοῦντος λέπλι (ἦ) ὅταν ἴδῃς τὸ σῶμα τῆς Ἀλιανείρας παρ' ἐμοῦ βλαπτόμενον καὶ δικαίως καταπορούμενον*. Sed manet alia offensio. Cum enim dolum sibi uxorem struxisse Hercules opinetur neque ullo modo suspicetur eam inconsiderati facinoris conscientia afflictam mortem sibi conscivisse, de dolore quem commiserans filius

pro matre incolumi et nefando scelere obstricta suscipiat cogitare vix potest. Quare *ἀγγεῖς τὸ ζείνης ὄρων* extra rerum condicionem videtur esse. Itaque cum, ut *ἀγγεῖς* a pronomine *ζείνης* separetur, hoc ex alio verbo suspensum esse necesse sit, etiam *ὄρων* interpolatoris esse efficitur et expulisse genuinum v. 1068 exitum. Iam vero secundum El. 341 sq. *δεινὸν γέ σ' οὔσαν πατρός οὐδ' οὐ παῖς ἔσθ' — ζείνον λελησθαι, τῆς δὲ τιτιούσης μέλει* facile est rescribere:

εἰ τοῦμὸν ἀγγεῖς μᾶλλον ἢ ζείνης (μέλει).

Ad accusativum *τοῦμὸν* cf. Δι. 790 *πράξιν ἢν ἴκησ' ἐγώ.*

Phil. 100, postquam Ulixes se rerum experientia edoctum cognovisse professus est linguam hominibus ad res administrandas ducem esse, non facta, Neoptolemus haec interrogat:

τί οὐν μ' ἄνωγας ἄλλο πλὴν ψευδῆ λέγειν;

Quod ne contra rei veritatem sit (ille enim hunc fraude uti iussit), *τί* non voce 'cur' reddendum, sed cum *ἄλλο* iungendum est. Sed ne hoc quidem satis convenit ad Ulixis orationem, ad quam ita demum quadraret, si hic factis apud homines plus valere dixisset linguam vera dicentem. Nihil attinet quod Wakefieldius hiatus evitandi causa *τί μ' οὐν* ut scriberetur suasit. Nam prima manus Laur. *τί οὐ* praebet, idque verum est, modo verbis iunctura sic addatur:

τί (δ') οὐ μ' ἄνωγας ἄλλο πλὴν ψευδῆ λέγειν;

Neoptolemi enim sententia haec est: 'cur autem me non aliud quam falsa dicere iubes; etenim vera dicere non minus huius quam dicis ducis opus est'.

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES

1010679405

BRITTLE DO NOT
PHOTOCOPY